


PER 164-449.



449

LEGES ET STATVTA

SODALITATUM

B. M. VIRGINIS.

QVAE


PRIMAE PRIMARIAE ROMANAE CONIUNCTA SVNT.

AMSTELAEDAMI,

J. BEERENDONK, BIBLIOPOLA.

MDCCCLXXX.

PER
Vak 164



Per 164
449

LEGES ET STATVTA

SODALITATUM

B. M. VIRGINIS.

QVAE

PRIMAE PRIMARIAE ROMANAE CONIVNCTA SVNT.



Liturgische Vereeniging
Aartsbisdom UTRECHT
Volgnummer Bibliotheek

1358

AMSTELAEDAMI,

J. BEERENDONK, BIBLIOPOLA.

MDCCLXXX.

IMPRIMATUR.

FR. D. BUTTAONI, O. P. S. P. A. MAGISTER.

~~~~~

IMPRIMATUR.

FR. ANT. LIGI BUSSI ARCHIEP, ICON. VICESGERENS.

~~~~~

IMPRIMATUR.

Amstelaedami
die 11 Martii 1880.

M. BERNSEN,
LIBR. CENSOR.

IOSEPHVS
MARIANVS PARTHENIVS

E SOCIETATE IESV
SODALIBVS MARIANIS.

Si libellum hunc qui vobis offertur non mole, quae sane minima est, aestimare, sed rerum quas continet praestantia ac dignitate, ut decet, metiri volueritis, sodales optimi, iudicabitis profecto nihil fieri vobis potuisse gratius, nec quidquam maiori in pretio haberi oportere. Continet enim regularum descriptionem, quibus cum universae sodalitates tum etiam vestrae constituuntur. Quae quidem regulae ita descriptae sunt, ut ad spiritualem profectum vestrum plurimum conducant.

Et quod ad sodalitates spectat, harum auctor et parens iure meritoque et dici et haberi debet Gregorius XIII; qui sodalitiū inchoatum iam in romano collegio a studiosis adolescentibus, apostolicis ad hanc rem litteris approbavit. Verum cum multa ad huiusce exemplum in collegiis Societatis fuissent erecta, ea ut inter se vinciret romanum hoc *primarium* esse voluit ea lege, ut siqua huic beneficia tamquam capiti collata essent, in cetera quoque veluti membra permanerent. Quo facto quantum sodalitates marianae creverint, quantum tota Europa atque adeo extra ipsam sese diffuderint dici vix potest. Certe quocumque Societas Iesu pervasit quae ultimos terrae angulos prope omnes scrutata est, ut divinae gloriae propagandae materiam nancisceretur, eo etiam sodalitia mariana pertinuerunt. Quanta autem cum adolescentium qui in gymnasiis Societatis Iesu bonis artibus dant operam utilitate, quid hic attinet dicere? Hoc quotidianus eorundem non tam in litteris quam in pietate virtutibusque processus satis aperte declarat. Fieri enim non potuit, quin clementissima harum sodalitatū Mater eademque sapientiae sedes, sodales ac filios suos, qui se illi totos dediderunt ac manciparunt, materno amore complexa, utramque

ipsis laudem contulerit qua et pietatis et litterarum commendatione florerent.

Neque vero saluberrimum hoc sodalitatam huiusmodi institutum intra discentium gymnasia se tenuit, sed reliquas quoque Societatis et aliorum domos occupavit, atque ad omnium hominum genus felicissimo eventu pervasit. Tanti enim omnium ordinum, tamque incredibiles concursus facti sunt, ut et vetera sodalitia dirimi atque diduci, et nova institui condique oportuerit. Quod summorum Pontificum Sixti V, Gregorii XV, et Clementis VIII auctoritate ut in eorundem decretis apparet perfectum est. Quare eorum rem adductam videmus, ut singulis prope omnium omnis fortunae ac conditionis hominum ordinibus, suum sit propriumque sodalitium constitutum. Ita a primaria romana sodalitate tot derivatae sodalitates sunt, quot longe lateque per totum terrarum orbem diffusas ac propagatas esse novimus; ut propterea fonti illi longe uberrimo de quo sacrae litterae meminerunt, iure possit assimilari, qui de solo paradisi emergens universam terrae faciem perenni aquarum suarum derivatione irrigabat. Iam vero nihil videbatur sive ad harum sodalitatam perpetuitatem, sive ad amplitudinem, sive etiam ad ornamentum requiri praeterea posse, cum Benedicti XIV inusitatum prorsus ac plane divinum erga eas studium enituit; cuius tot ac tanta in illas promerita exstiterunt, quanta profecto non modo non postulari, sed ne optari quidem poterant. Non est cur hoc loco ea singillatim percenseantur quae legere unusquisque per se poterit exhibetque eius Bulla vere aurea, perpetuum certe futura tantorum meritorum et testimonium et monumentum. Qua quidem Bulla beneficentissimis Pontifex sua et decessorum suorum diplomata complexus, primum effecit ut quae ab aliis Pontificibus collata sunt privilegia, ipsi quoque referrentur accepta; deinde illa ipsa adeo exaggeravit cumulavitque ut omnino Benedictus XIV harum sodalitatam alter a Gregorio XIII parens agnosci debeat. Haec de pontificiis diplomatis atque decretis.

Iam ut ad regulas gradum faciamus, plura persequi supervacaneum est; nec vero necesse sodales ad eandem observantiam adhortari, qui id unum semper studuerunt ut quae a moderatoribus praescripta essent, prompto atque alacri animo exsequerentur. Atque hae quidem leges quas nunc exhibemus, si cum iis quae olim in collegio romano atque alibi impressae adhuc exstant conferantur, geminae profecto reperientur; additis tantum quibusdam, quae pia praesertim adolescentium institutioni visa sunt accommodatiora. Facta enim a Romanis Pontificibus et veteres leges, si videretur, antiquandi, novasque condendi potestate, placuit nonnulla adsciscere et legitimo regularum iure donare; ea tamen adhibita propemodum religione, ut quidquid de veteribus regulis retineri poterat integrum prorsus atque inviolatum maneret.

Quid restat, sodales optimi, nisi ut vos totos eius servituti dedatis cui *servire regnare est*, quae pro sua in nos singulari benignitate eo usque se demittit ut *serviat servientibus sibi*? Nam quid est quod Virgo sanctissima nobis praestare non possit cuius tot ac tanta apud Deum merita exstiterunt, tanta autem erga nos pietas, ut nobis benefaciendi nec facultas desit nec voluntas, praesertim vero si nobis praesentissimum eius patrocinium frequentibus obsequiis et assiduo praecipue in sodalitatibus suis famulatu conciliare impense studuerimus? *Totis igitur*, ut vos ad extremum Bernardi verbis alloquar, *medullis cordium totis praecordiorum affectibus et votis omnibus Mariam veneremur, quia sic est voluntas eius qui totum nos habere voluit per Mariam. Fratres haec peccatorum scala haec nostra maxima fiducia est, haec tota ratio spei nostrae. Quid nos alta concupiscimus? quaeramus gratiam et per Mariam quaeramus, quia quod quaerit invenit et frustrari non potest.*— *Sermo de Nativ. B. V.*

PETRVS BECKX
PRAEPOSITVS GENERALIS
SOCIETATIS IESV

Quum Gregorius fel. rec. PP. XIII in Constit. *Omnipotentis Dei* etc. data Non. Dec. an. 1584 et confirmata a Sixto V, Benedicto XIV et Leone XII benigne indulerit omnibus Praepositis aut Vicariis Generalibus Societatis Iesu pro tempore existentibus ut pro felici statu ac regimine et directione tam Congregationis Primae Primariae in romano S. I. collegio erectae, quam omnium et singularum sodalitatum eidem aggregandarum, *statuta, constitutiones et decreta edere ac postquam edita fuerint, quoties pro earum et temporum qualitate aut alias expediens eis videbitur, immutare, corrigere, moderari ac reformare, aut alia ex integro condere libere et licite valeant*: idcirco ut ubique quoad eius fieri potest, uniformitas seruetur, facultatem facimus edendi hunc libellum in quo continentur leges et statuta Congregationum B. Mariae Virginis iam olim a. P. Iosepho Mariano Parthenio Societatis nostrae sacerdote in ordinem disposita et iuxta antiquas consuetudines exarata, eaque omni auctoritate nobis, ut supra diximus, concessa approbamus et confirmamus.

LEGES ET STATVTA

SODALITATVM

BEATISSIMAE VIRGINIS MARIAE

REGVLAE COMMVNES

CAPVT I.

I. Cum Beatissima Virgo Dei Mater huius sodalitat^{is} patrona praecipua illam fovere ac defendere existimanda sit, quippe misericordiae mater quae se diligentes diligit et ad se pie ac religiose confugientes tueatur ac protegat, propterea par est in primis ut eiusdem sodales non solum illam praecipua veneratione ac peculiari honore prosequantur; verum etiam ut vitae morumque integritate virtutum illius praestantissimarum exempla imitari, atque mutuo se ad eius amorem excitare conentur. Ad haec omnia facile praestanda iuvabit plurimum observatio harum legum, quae quidem litteris consignandae visae sunt, ut quoad eius fieri potest communes sint ceterarum omnium sodalitatum quae cum romana coniunguntur. Permittitur tamen ut praeter has leges unaquaeque congregatio habeat nonnullas proprias, quas pro regionum personarumque varietate sibi convenire unaquaeque censuerit.

II. Sodalitatem administrabit Director seu moderator eius loci ubi illa fuerit instituta, et Praefectus ipsius congregationis duorum assistentium ope atque consilio. Accedent his duodecim consultores e quibus unus secretarii munere fungetur. Numerus consultorum pro paucitate sodalium ad sex tantum redigi poterit. Praeter hos alii quoque minores officiales eligentur quibus unaquaeque sodalitas indigebit. Omnes autem debitum honorem tum

moderatori sodalitat^{is}, tum etiam praefecto ceterisque subordinatis officialibus pro cuiusque dignitate deferent; iisque in rebus omnibus ad sodalitatem pertinentibus obtemperabunt. Cum vero aliquod occurrerit impedimentum, quamprimum aut moderatorem aut praefectum admonebunt, ut possit alteri cuiquam dari negotium.

III. Quoniam huius sodalitat^{is} finis est virtus pietasque christiana, ad quem finem assequendum sacramentorum frequentia perutilis est; ideo quicumque dare nomina sodalitati voluerint, antequam recipiantur vel ordinaria vel generali confessione, prout ipsorum confessario magis in Domino expedire videbitur, peccata sua expiabunt. Deinde sodales omnes monentur ut ad sacramentum confessionis accedant et sacram Eucharistiam sumant semel saltem in mense, et praeterea certis quibusdam Domini nostri eiusque sanctissimae Matris festis diebus ac solemnibus. Officiales tamen praecipui hoc est praefectus, assistentes, secretarius ac consultores crebrius quam reliqui sodales quibus exemplo praelucere debent, poterunt confiteri et sacram Eucharistiam sumere, nisi aliter illorum patri spirituali videbitur.

IV. Ordinarius confessarius quoad eius fieri poterit constituatur qui semel a quopiam electus haud tenere mutabitur. Illi autem conscientiam suam prorsus manifestet, seque in omnibus quae ad conscientiae ipsius moderamen pertinent fingendum regendumque permittat.

V. Dominicis itemque festis diebus quae de praecepto dicuntur, in sodalitium una omnes mane convenient, ubi horam circiter cum dimidio piis et spiritualibus exercitationibus impendent, ea ratione quam moderator praefectusque praescribent. Ratio autem haec ferme erit. Ducatur initium a lectione pii cuiuspiam libri, qui tamdiu legetur dum sodales omnes aut fere omnes convenerint: tum pars aliqua officii B. Virginis decantabitur; deinde brevis cohortatio de rebus ad spiritualem sodalium profectum a sodalitiⁱ moderatore habebitur; cohortationem sacrosanctum missae sacrificium excipiet, quo peracto recitatis litanis aliisve quibusdam precationibus iuxta uniuscuiusque sodalitiⁱ consuetudinem, sodales dimittantur. Qui vero sacra communionem fuerint refecti, horae

saltem quadrantem in gratiarum actione perstabunt. A prandio deinde sodalitia quibus conveniendi mos fuerit, iisdem fere matutinis exercitationibus spatio unius semi-horae aut paulo plus uti poterunt.

VI. Quoniam vero sodales praecipuo secundum Deum erga B. Virginem studio esse debent, propterea quod ei speciali titulo addicti mancipatique sunt; idcirco moderator praefectusque congregationis omni ope id studium augendum amplificandumque curabunt. Dabunt igitur operam ut solemniora tum Christi Domini tum Deiparae Virginis festa ferventius a sodalibus ac maiori cum devotione celebrentur. Maior autem erit devotio si novem ante dies quam festum celebretur, peculiaribus obsequiis et sacris praesertim commentationibus sodales se praeparent atque disponant. Quod quo commodius a sodalibus fieri possit, meditationis puncta et peculiariora alia obsequia in singulos descripta dies, et si per sumptus licebit etiam typis impressa proponantur, vel opportuno tempore in sodalitia legantur.

VII. Ubi autem mos ille viguerit, sodalium quisque ad sodalitium secum deferat obsequia quae per eos dies peregerit in charta descripta nomine vero non adscripto; eaque in urnam sive capsulam ad ea excipienda expositam coniciat: quae subinde in ordinem digesta in codicemque relata, loco usitatae cohortationis propalam legantur. Legantur autem die quoad fieri poterit qui proxime praecedit solemne festum, idque fiat ut singuli eorum quae audierint recordatione ad maiorem fervorem ac devotionem vehementius excitentur. Gratum quoque sciant sodales se Virgini facturos, si ea obsequia non solum per eos de quibus diximus dies frequentent, sed etiam singulis diebus aliquo saltem obsequio sibi Deiparam studeant demereri.

VIII. Quandoquidem piorum librorum lectio tantopere a sanctis patribus commendatur plurimumque ad spiritualem profectum confert, idcirco a sodalibus erit frequenter usurpanda. Quapropter sodalitium si fieri potest bibliothecam habeat piis eiusmodi libris refertam, et pro sodalium numero satis bene instructam, unde sodales ex ipsius moderatoris praescripto sumere possint quae subinde domi legant. Libros distribuet is qui a moderatore fuerit huic muneri destinatus.

IX. Suum etiam sodalibus quolibet anno a moderatore praescribatur tempus, quo tempore spiritualibus s. Ignatii exercitationibus vacent. Proponatur illis exacta eorum descriptio, ut sciant quid quacque hora spiritualis exercitationis sibi vindicet, quam omnes religiose servabunt. Qui has spirituales exercitationes sodalibus unum in locum congregatis exponet, eos adhortabitur praecipue ad confessionem rite peragendam. Ad eum finem brevia quaedam puncta iis proponi poterunt generatim circa usum et frequentiam sacramentorum, proprii cuiusque status obligationem, huius vel alterius vitae generis electionem, aliaque huiusmodi quae ipsis eo praesertim tempore et usui et adiumento esse possint. Exercitationes in sodalibus haec ferme erunt. Initium fieri poterit a lectione libri qui de iis rebus agat quae postmodum erunt meditandae. A lectione is qui tradet exercitia examen aliquod circa ea de quibus diximus puncta instituet. Examen meditationis expositio excipiet, qua absoluta omnes missae sacrificio intersint, tum decantato psalmo *Miserere* sed submissiori voce et sono ad compunctionem inflexo, omnibus exeundi potestas fiat. Idem fere exercitationum ordo a prandio servabitur. Porro quadragesimale tempus nisi aliter sodalium moderator iudicaverit, videtur esse maxime consentaneum his exercitiis peragendis. Absolutis tribus vel quatuor vel etiam pluribus iuxta sodalium moderatoris praescriptum diebus, mane insequente omnes in sodalium conveniant atque una sacrosanctum Christi corpus sumant. Curent autem sodales ne vel minima temporis maxime acceptabilis particula iporum incuria dilabatur: quae in sodalium audierint domi recolant, et multo plus temporis lectioni et meditationi tribuant quam alias extra exercitia consueverint.

X. Curandum etiam quam maxime est, ne sodalium conventus quacumque levi etiam de causa omittantur. Si vero aliqua causa inciderit quamobrem sodalium omittendum eo die videatur, spectabit ad moderatorem de causae gravitate iudicare, qui re in Domino discussa et attentius considerata, quod ei magis expedire visum fuerit pronuntiabit. Dies vero quibus conventus haberi solent sunt omnes fere dominici, dies solemnes Christi Domini Nativitatis, Circumcisionis, Ascensionis, Pentecostes, Corporis

Christi, festi item omnes de praecepto Beatissimae Virginis item omnium apostolorum: praeterea dies festus s. Iosephi, nativitatis s. Ioannis Baptistae, s. Laurentii ets. Aloisii. His diebus nunquam sodalitiū omititur nisi forte Natalis et Corporis Christi.

XI. Qui statis diebus atque temporibus a conventibus abfuerint, quamprimum moderatori absentiae causam exponant ad quem pertinebit an causa sit idonea iudicare. Quod si aliquam in ea culpam esse comperit, illos poterit qua ratione videbitur admonere, et propter eiusmodi absentiam vel alios defectus licebit etiam interdum eos ad tempus certum sodalium coetu prohibere, ut maxime sodalitati conducere et ad Domini nostri gloriam pertinere censebitur. Quo vero certius atque expeditius uniuscuiusque absentia dignoscatur, libellum in hunc usum sodalitas habeat in quo et dies quibus eo anno conventus habebuntur descripti, et sodalium nomina ita perscripta sint, ut apposita aliqua nota absentia facile indicetur. Quamquam omnes eo studio erga B Virginem esse debent et de proprio spirituali profectu adeo solliciti, ut his aliisve similibus incitamentis non magnopere indigeant.

XII. In celebritatibus atque apparatus, si quos fieri in sodalitate intra annum acciderit, ut in aliis quoque sumptibus quacumque occasione faciendis, debet unaquaeque sodalitas mature considerare habita ratione sodalium, quid expediat. Tenuiores hos sumptus ferre non possunt; locupletiores fere ad inanem pompam referunt. Itaque in his expensis ne sint nimii quae saepe pecuniae vim exhauriunt atque absumunt, quae multo melius utilioribus in rebus ad maiorem Dei ac Deiparae gloriam impendi debuisset. Quare unaquaeque sodalitas inter alia sua statuta decernat de moderatoris sententia et cum eiusdem approbatione, quid hac in re facere possit ac debeat, habita praesertim eorum sumptuum ratione qui ad maiorem sodalium in spiritu ac devotione profectum faciendi in his constitutionibus enixius commendantur.

XIII. Quotidie mane ubi e lectulo surrexerint, postquam Deo pro acceptis ab eius maiestate tum generalibus tum praecipuis ac propriis atque ea praesertim nocte

beneficiis gratias egerint, primum actus fidei spei et caritatis elicient, deinde ter orationem dominicam et angelicam salutationem in honorem sanctissimae Trinitatis pronuntiabunt, semelque symbolum Apostolorum et *Salve Regina*, praeter alias quas unusquisque de confessarii consilio recitare consuevit. Neque vero his tantum precibus contenti sint, sed curet unusquisque horae ad minimum quadrantem in oratione mentali sive meditatione collocare, et quotidie ubi fieri possit missae sacrificio interesse. Vesperi autem antequam se ad quietem somnumque conferant, per alterum horae circiter quadrantem conscientiam suam excutient atque examinabunt, et cum omnium tum praecipue eorum quae se eo die admisisse deprehenderint peccatorum, contritionem ac dolorem elicient: quo facto *Pater et Ave* et semel psalmum *De profundis* pro defunctis animabus pronuntiabunt.

XIV. Suadetur autem omnibus universe quoniam ipsi maiorem quamdam perfectionem quam ceteri profitentur, ut maius quoque studium in actionibus piis et christianis adhibeant, cuiusmodi sunt saepius peccata confiteri crebriusque ad sacram Christi corporis mensam accedere officium B. Virginis, rosarium recitare; carceres itidem, si ratione loci vel personarum fieri possit visere, adire nosocomia identidem, atque iis praesertim diebus qui solemnus aliquod Christi aut B. Virginis festum praecedent. Haec aliaque id genus pia munera obire poterunt, in quibus vel pro sua quisque conditione ac pietate, separatim vel cuncta simul sodalitas exercebitur, quemadmodum is qui sodalitati praeest instituerit atque suaserit.

XV. Cum e sodalibus aliquis graviter aegrotaverit, eum tum praesertim moderator et praefectus invise dum et sanctis ecclesiae sacramentis muniendum curabunt, tum omnes Domino suis precibus commendabunt. Quod si eum contigerit e vita discedere et adhuc laudanda illa consuetudo vigerit ut sodales illius funus ad sepulturam prosequantur, exemplum huiusmodi christianae pietatis ne praetermittant. Deinde quo primum die commodum fuerit, mortuorum officium pro eodem vel simul omnes in sodalitia, si fieri possit recitabunt, vel certe per se unusquisque separatim. Per octo autem dies psalmum

De profundis cum oratione pro defunctis pro illo dicent semel quotidie singuli. Tota denique sodalitas missae sacrificium ad altare sodalitatıs, quod pro defunctis ipsius sodalitatıs privilegiatum est, pro eius anima semel offerendum curabit.

XVI. Si quando cuipiam a sodalitate itineris faciendi causa discedendum erit, moderatorem admoneat ac praefectum; ab iisque facultatem ac litteras etiam patentes exposcat, ut ab aliis quoque sodalitiis, quo se forte sit laturus, tanquam unus e sodalibus recipiatur. Et quandoquidem etiam absens meritorum sodalitatıs est particeps, aequum erit ut interdum de se suisque rebus faciat reliquos certiores, ad praefectum scribens ac sese sodalium precibus commendans. Curet autem semper ubicumque fuerit ut se verum filium sodalitatıs ostendat, et morum integritate exemploque vitae omnes aedificare et ad virtutem pietatemque conetur allicere.

XVII. Se mutuo omnes vera et sincera caritate diligant, curentque ut pacem fraternamque concordiam tueantur, atque in dies in veris christianisque virtutibus progressum proderit. Ut hoc autem facilius assequantur plurimum proderit sodalitatıs conventus frequentare, pias eiusdem exercitationes non praetermittere, cum iis crebro versari a quibus iuvare possint, improborum consuetudinem et quascumque occasiones vitare unde illis detrimentum aliquod posset afferri: quales ludi sunt, rixae, contentiones, murmurationes aliaque huiusmodi quae bonum sodalitiı nomen et existimationem labefactant; sed enitantur potius ut in omnibus ita se gerant, ut digni qui sint in beatissimae Virginis tutela existimentur.

XVIII. Quo facilius haec statuta legesque servantur quoties praefectus novus ac reliqui officiales renunciantur, publice in sodalitiio legantur. Conetur porro quisque illis parere quam diligentissime. Praeter has leges omnes etiam consuetudines suae quisque sodalitatıs observet: officiales vero proprias cuiusque muneris crebrius legent quo illis diligentius obtemperent.

DE RATIONE
SODALES IN SODALITIVM ADMITTENDI

CAPVT II.

I. Qui in sodalitatem admitti cupit moderatorem ac praefectum adeat, qui ubi satis de ipso cognoverint ac de eiusdem aetate, professione, virtutibus aliisque dotibus informationem acceperint, praefectus de illo ad coetum duodecim vel sex consultorum referet, ut admittatur ad frequentandum tanquam probationis causa ad aliquod spatium temporis ut infra dicitur. Quo tempore poterit spiritualibus dumtaxat sodalitatis exercitationibus, non tamen deliberationibus et consultationibus adesse. Atque interim separatim sedebit ut loci commoditas feret.

II. Cum quis fuerit idoneus iudicatus sed nondum cooptatus, tum illum moderator et praefectus uni ex sodalibus qui floreat probitate committant eiusque fidei et curae commendent, ut quamdiu probatur (quod tempus erit duorum triumve mensium circiter pro personarum qualitate) eum de institutis ac legibus sodalitatis ceterisque consuetudinibus edoceat, et si quae sibi forte difficultates occurrerint solvat, ut rebus melius exploratis voti compos fieri possit. Cum vero tempus instabit quo erit admit-tendus, ut iuxta privilegia et gratias sodalitati concessas quo die in eam adscribetur indulgentiam plenariam consequatur, eum admonebit ut se ad sanctissimum Eucharistiae sacramentum eo die accipiendum paret, quotanti thesauri particeps effici queat.

III. Antequam vero quis in sodalitiu[m] cooptetur, rursus ad coetum duodecim vel sex consultorum de eodem referatur, ut ab iis et praesertim ab illo cuius fuerat curae traditus, intelligatur quam bene se ad praefinitum tempus gesserit. Quod si comperiat eum probationis suae tempore non omnino exspectioni satisfacisse, ipsius coetus erit ad plura suffragia statuere utrum prorsus reiiciendus an ei probationis tempus prorogandum. Si vero bonum de se suaque probitate specimen ediderit, ea forma ritus qui infra praescribetur accedente assensu moderatoris, quo inscio et inconsulto nihil ratum esse potest, cooptabitur.

DE CONFIRMATIONE
SIVE ACCEPTATIONE SODALIVM

CAPVT III.

I. Dies festi B. Mariae Virginis videntur omnium maxime idonei ad novorum sodalium confirmationem, praecipue vero tres festi dies Annuntiationis, Assumptionis et Conceptionis B. Virginis. His itaque diebus in sodalium cooptabuntur. Qui admitti debent primum se ad altare B. Virginis sistant ibique flexis genibus aliquantis per orent, benignissimam Matrem enixius obsecrantes ut in filiorum suorum numerum se recipere minime dedignentur. Tum is cuius, uti diximus, curae probationis tempore commissi fuerint, acceptationis formulam elata voce pronuntiabit subsistens identidem, ut ii qui cooptandi erunt eum voce praeuntem subsequi commode possint, eandemque una cum ipso formulam pronuntiare. Porro formula acceptationis haec erit.

Formula acceptationis

II. Sanctissima Virgo et mater Dei Maria ego N.N. licet qui tibi serviam indignissimus, motus tamen tua admirabili pietate et impulsus tibi serviendi desiderio, eligo te hodie coram Angelo meo tutelari et curia caelesti universa in dominam, advocatam et matrem; firmiterque propono me tibi semper in posterum famulaturum et quantum in me erit curaturum ut ab omnibus tibi fideliter serviat. Te igitur piissima Mater per Iesu Christi sanguinem pro me sparsum oro atque obsecro, ut me in clientum tuorum numerum atque in servum perpetuum recipere digneris. Adsis mihi in omnibus actionibus meis, gratiamque impetres ut ita me verbo, opere et cogitatione geram, ut nunquam nec tuos nec sanctissimi Filii tui oculos offendam. Recorderis mei nec me deseras in hora mortis. Amen.

III. Hac absoluta omnes surgant atque a magistro novitiorum ad moderatorem deducantur, quos monebit in sodalium esse receptos, in cuius rei signum illos ipse complectetur ac totius nomine sodalitatis admittet. Pater itidem eosdem ut filios accipiet, eosque amplexans paucis

hortabitur ad parendum legibus institutisque sodalitatibus et ad venerationem ac devotionem erga B. Virginem, cuius se tutelae eo die praecipue commiserunt. Libellum quoque regularum sodalitatibus eis tradat, ut illas apud se retineant, domi identidem legant, quo eas facilius observare possint. Deinde similiter ad praefectum deducantur qui eos ad ea quae supra indicata sunt quam brevissima oratione adhortabitur. Postremo breves quaedam preces recitabuntur in gratiarum actionem pro cuiusque propria consuetudine sodalitatibus.

DE RATIONE ELIGENDI PRAEFECTVM ET RELIQUOS OFFICIALES

CAPVT IV.

I. Praefectus et reliqui officiales semel in anno aut ad summum bis in praecipuis B.V. festis diebus renunciabuntur. Convenient sodalitatibus moderator, praefectus, assistentes, consultores, secretarius, et dicto *Veni Creator* cum solitis precibus, communicatis secum suffragiis, tres e tota sodalitate deligent qui inter ceteros et virtutum exemplo et probitatis commendatione excellent. Tum hi ad universam sodalitatibus proponantur; qui plura suffragia tulerit praefectus, qui minora primus et secundus assistens pro numero suffragiorum declarabuntur. Suffragia explorabunt moderator sodalitatibus et praefectus. Eodem fere modo consultores et secretarius eligendi erunt, sed ad totum sodalium conventum nequaquam proponendi.

II. Depositarius, aedituus sive sacrista, ianitor aliaque minora officia quae pro cuiusque consuetudine requiruntur, eligi poterunt a moderatore et a praefecto simul cum assistentibus et secretario, habitatione maioris frequentiae et aedificationis. Omnes autem initio cuiusque praefecturae ut ceteri maiores sic minores officiales mutabuntur, nisi aliter videbitur moderatori et praefecto iustis tamen de causis.

III. Electis hoc modo maioribus minoribusque sodalitatibus officialibus, die b. Virgini sacro publice in sodalitatibus

renunciabuntur. Ad maiorem vero devotionem ac pompam, a sodalitiū moderatore unicuique officialium propria cuiusque muneris insignia tradi poterunt. Recitabuntur igitur a secretario elata voce officialium nomina, eo ordine quo electi fuerint et gradus sive dignitas uniuscuiusque feret. Is cuius nomen pronuntiatum fuerit adeat moderatorem ad eiusque pedes accedens proprii muneris insignia ab eodem accipiat, quem moderator ad munus illud ea qua par est sedulitate ac diligentia exsequendum paucis excitabit, officiique sui quam brevissime commonefaciet. Renunciatis hac ratione officialibus omnibus, sive moderator sodalitatū, sive alius quispiam ad sodales universos verba faciet, eosque ad sodalitiū frequentiam, observantiam regularum, devotionem atque amorem erga b. Virginem eiusque praecipue virtutum imitationem adhortabitur.

IV. Si vel mori praefectum vel alio quopiam casu ante dimidiatum sui muneris tempus non posse amplius officium suum obire contigerit; alter de moderatoris sententia qui eius vices gerat substituetur donec ad novam electionem veniatur. Idem in reliquorum substitutione officialium praestabitur.

DE RATIONE SERVANDA IN CONSULTATIONIBVS

CAPVT V.

Ad conservationem et amplificationem sodalitatū, necesse esse videtur non modo ut saepe sodales ad spirituales exercitationes congregentur, sed etiam interdum convenient ad agendum de recta sodalitatū administratione. Quamobrem moderator cum praefecto, assistentibus, secretario ac duodecim sive sex consultoribus, quandocumque opus fuerit hora opportuna convenient, ut de rebus agant quae occurrent ac de ipsis quoque decernant. Res vero in consultationibus proponere ad moderatorem praecipue spectabit; ceteri eius in omnibus auctoritatem magni facient et se eiusdem arbitrio regendos permittent, licet et ipsi quae necessaria videntur esse, possint modeste proponere. Caveant omnes ab inordinatis animi affectionibus, et in ferenda

sententia unicum Dei ac Deiparae gloriam et spirituale sodalitati incrementum spectent.

LEGES PRAEFECTI SODALITATIS

CAPVT VI.

I. Praefectus ut gradu et officio in sodalitate ceteris antecedit et secundum moderatorem primus illi debetur locus, ita etiam eniti debet ut virtute reliquis sodalibus antecellat. Quare non modo eum quam maxima diligentia peculiaribus muneris sui legibus, verum etiam communibus parere oportebit, illisque praesertim quae ad sacramentorum frequentiam pertinent, saepius quam ceteri peccata confitendo et sacram Eucharistiam sumendo: dabitque operam ut sodalitatem non tam verbis quam exemplo provehat ad virtutem perfectionemque christianam.

II. Semper in sodalitate statis temporibus aderit: providebitque mature ac prudenter quae ad solitas spirituales exercitationes pertinebunt, quemadmodum illi antea cum moderatore convenerit. Quod si quando legitime impeditus adesse non possit, moderatorem admonebit quamprimum. Tunc autem praefecti munus primus assistens et hoc absente secundus explebit.

III. Etsi praefectus sodalitatis curam habere debet, moderatori tamen sciat se esse subordinatum: a quo rerum gerendarum rationem semper accipiet. Quocirca nihil omnino mutabit neque tollet, neque vero instituet quicquam novi eodem moderatore inscio vel non probante, ut in sodalitate cautius et pacatius ad maiorem Domini nostri ac Deiparae Virginis gloriam procedatur.

IV. Curabit ut communes sodalitatis leges quoties novus fuerit praefectus ceterique officiales renunciati in sodalitate legantur: maxime vero curet ut observentur ab omnibus. Dabit etiam operam ut ceteri subordinati officiales sui quisque muneris leges observent, praesertim assistentes, secretarius et duodecim sive sex consiliarii. Efficiet item ut in sodalitate nomina sodalium congregationem frequentantium sint in tabella descripta; itemque ut sit liber in quem sint sodalium nomina relata tum praesentium tum absentium, ea ratione quae supra regula inter communes undecima praescribitur. Item liber alius

in quo officiales quo die et anno fuerint declarati scribantur. Tertius item in quo quis quo die et anno in sodalium fuerit cooptatus, atque etiam, si resciri poterit, e vita migraverit adnotetur,

V. Cum sodalium quispiam aegrotaverit eum curet sodalitatibus nomine invisendum. Quod si morbus ingravescat dabit operam ut pro eo ab omnibus Deo preces fundantur. Si vero mortis periculum instet, curabit ut sanctissimis ecclesiae sacramentis muniatur; si e vita decesserit curabit ut statutae pro eius animae expiatione a sodalibus preces fiant.

VI. Patentes quas vocant litteras una cum moderatore subscribat. Si quis forte sodalium graves ob noxas e sodalio fuerit dimittendus, nihil inconsulto moderatore et nonnisi ex eius consilio sententiaque agat.

ASSISTENTIVM LEGES

CAPVT VII.

I. Assistentium illud munus erit, ut consilio et opera praefectum in sodaliti administratione iuvent. Quocirca aequum erit ut cum eo consentiant, ut conspirantibus sententiis rectius administratio procedat.

II. Debent conventibus tum publicis tum privatis interesse, cumque praefectus abfuerit eius vicem assistens primus explebit; utroque vero absente secundus assistens praefecti fungetur officio. Agant saepius cum moderatore et praefecto de rebus ad spiritualem sodalitatibus profectum spectantibus, quem verbo et exemplo, quantum divina adiuvante gratia eniti poterunt, studebunt promovere.

SECRETARII SODALITATIS LEGES

CAPVT VIII.

I. Secretarius consultationibus omnibus intererit. Refert autem in librum ad eam rem destinatum res graviores momenti: prius tamen exempla eorum quae notanda erunt moderatori ac praefecto ostendet.

II. In voluminibus supra indicatis quae cuique volumini propria sunt, scripto summa diligentia mandabit.

Quae in consultationibus constituta erunt nemini indicabit, et sciat servare silentium ut ipso nomine declaratur.

III. Curae illi erit patentes litteras, epistolas, mandata et quaevis alia scribere quae usus tulerit, atque etiam subscribere ac solito sigillo sodalitatis obsignare: omnia semper de sententia moderatoris agendo atque praefecti.

DVODECIM SIVE SEX CONSVLTORVM LEGES

CAPVT IX.

Sodales aliquot ex sodalitate deligentur ea ratione quae est in legibus electionis tradita, qui erunt duodecim ubi frequentius sodalium, ubi vero minus frequens sex tantum. Horum munus erit praefecto in consultationibus et in administranda sodalitate praesto esse. Ac propterea illos ex aetate provecioribus et probatoribus esse oportebit. In dicenda sententia maiorem semper Dei ac Dei-parae Virginis gloriam et spiritualem sodalitatis profectum ob oculos habeant nec se partium studio a recto consilio abduci sinant. Quod saepius iam dictum est, dignitate sic exemplo reliquis sodalibus antecellere studeant.

MAGISTRI NOVITIORVM LEGES

CAPVT X.

Magistri novitiorum munus erit prout ipsi a moderatore atque a praefecto fuerit imperatum, eos instituere qui sodalitatem ingredi cupiunt, leges eis explicando eosque de aliis propriis sodalitatis consuetudinibus edocendo. Curare autem debet ut cum hos tum alios qui fuerint ipsius curae commissi, quam maxima caritate foveat et diligentia iuvet. Saepe cum moderatore ac praefecto de ipsis aget, utrumque consulens qua illos potissimum ratione in via divini obsequii dirigere possit. Tabellam habebit in qua formula acceptationis aut impressa aut elegantius descripta sit. Spectabit ad ipsum eos qui in sodalium numerum admitti debent ad altare sistere, formulam legere, eosdem ad praefectum ac moderatorem deducere

DEPOSITARII LEGES

CAPVT XI.

Depositarius nullum omnino sumptum faciat iniussu moderatoris. Arcam habeat in qua sodalitatibus pecunia reponatur. Arca porro duabus diversis clavibus obserata erit, quarum alteram habebit moderator, alteram apud se retinebit nisi aliter visum fuerit; neque enim in sodalitatibus quae e minoribus natu constant id videtur permittendum. Habeat insuper libellum in quo rationes accepti et expensi exacte descriptae appareant, quem quoties Patri libuerit exhibebit et ostendet. Caveat praeterea ne quidquam a quoquam sodalitatibus nomine sive in extraordinarios sodaliti sumptus petat; sed illis pecuniis quae iuxta morem ab omnibus tribuuntur, iisque quae pro sua quisque liberalitate quoties sodaliti habetur erogare solet, contentus sit.

BIBLIOTHECAE MARIANAE PRAEFECTI LEGES

CAPVT XII.

Eius curae ac fidei bibliotheca Mariana librique omnes in ea contenti demandantur. Intelligat quanti momenti hoc munus sit, quantumque in eo munere ceteris sodalibus diligentia sua prodesse, contra vero negligentia obesse possit. Absoluto sodaliti libros sodalibus distribuet. Indicem librorum omnium exacte descriptum habeat, quem propalam collocabit aut postulantibus exhibebit, ut eo perlecto quem sibi quisque optaverit librum e bibliotheca sumat. Nemini autem prius librum tradat quam ab eo ipso qui acceperit nomen et cognomen, libri titulus, dies mensis et annus quo librum sumpsit in schedula adnotanda diligenter curet. Schedulam porro asservabit tamdiu dum ille quem accepit librum restituet, quo restituto illi ipsi schedulam lacerandam tradet. A nemine duos simul libros domum auferendos, nullum vero autumnalibus feriis a quoquam retinendum permittat; quibus indictis libri omnes ab omnibus ad bibliothecam deferantur.

VISITATORVM INFIRMORVM LEGES

CAPVT XIII.

Quandoquidem praefectus sodales omnes infirmos, si praesertim plures eodem tempore aegrotare contigerit, saepius per se adire non potest, necesse est ut aliquos habeat e sodalibus in tam pio sanctoque officio socios atque adiutores; quorum numerum definire ad moderatorem spectabit, qui eos potissimum ad hoc munus eliget quos prae caeteris aetate et morum probitate noverit eminere. Horum munus erit sodales infirmos saepe invisere de eorum statu diligenter cognoscere et quae cognoverint ad moderatorem ac praefectum referre, eosdem autem Deo commendare enixius, et communibus sodalitiis totius precibus iuvandos curare. Ingravescente morbo moderatorem et praefectum quantocius admoneant, ut illi pro iniuncto iis officio aegrotanti praesto esse possint et modis omnibus praecavere, ne sodalis graviter aegrotans prius e vita discedat quam omnibus ecclesiae sacramentis rite munitus sit. Proderit etiam sodales infirmos non solum adire frequentius quo tempore decumbunt, sed etiam convenire interdum cum e morbo recreari incipient: quod ita faciant ut eosdem spiritualibus consolari sermonibus in Domino atque exhilarare studeant.

AEDITVI LEGES.

CAPVT XIV.

Duo, tres aut quatuor pro sodalium numero aeditui erunt. Persuasum habeant se in eo munere atque officio secundum Deum Deiparae Virgini famulari atque inservire. Quapropter ne turpe sibi ducant aut sodalitiis sordes everrere, aliave huiusmodi abiectiora in ipso sodalitie obire ministeria. Curent praecipue ut indumenta sacra ceteraque omnia quae in sancto sacrificio missae usu esse solent, et recte apparatus et quam mundissima sint. Totius sodalitiis suppellectillis index in libello descriptus sit quem officio decedentes successoribus tradant, eosque quo quidque loco seponendum sit edoceant. Omnia ad id muneris pertinentia decenter et recte disposita ac collocata custodiant: obserentur etiam clavibus quas apud

se sodalitiū habeat moderator. Ne temere a sodalitiō ac sine causa et non nisi facta ab ipso moderatore potestate egrediantur; sed una cum aliis spiritualibus omnibus sodalitiū ipsius exercitationibus intersint. Nullum omnino sumptum faciant inscio moderatore atque inconsulto. Curiosus et sumptiosioribus apparatusibus non delectentur, quos moderator pro sua prudentia aut iis omnino interdicit, aut certe ita moderabitur ut quam minimo ipsorum impendio fiant.

LECTORIS LEGES

CAPVT XV.

Quam maturime poterit ad sodalitiū accedet. Sodalitiū enim a lectione pii cuiuspiam libri auspicatur. Nullum omnino librum legat nisi a moderatore assignatum. A novorum magistratuum renunciatione, statim regulas sodalibus omnibus leget. Ne utatur in legendo nimia festinatione, sed elata, distincta et clara voce legat, subsistat identidem ut ea quae legerit et facilius intelligantur, et altius in eorum qui audient animos demittantur. Eapropter necesse erit ut probe cognitum ac perspectum habeat quanti momenti sit lectio spiritualis, quantumque sive ad vitae emendationem conferat sive etiam ad devotionem conducatur. Lectoribus cantores addantur qui sodalibus matutinos B. V. psalmos decantantibus voce et tono praeceant.

PRAEFECTI IANVAE LEGES

CAPVT XVI.

Is etiam quam citissime poterit ad sodalitiū se conferat. Cognomina et nomina omnium sodalium ordine alphabetico digesta et disposita aut in tabula aut in libro descripta habeat, quo citius cum opus fuerit cuiusque sodalis nomen inveniatur. Ita porro eorum quos diximus cognomina descripta sint, ut apposis quibusdam notis pro moderatoris arbitrio eligendis, ii designentur qui a sodalitiō abfuerint item qui adfuerint, et aut ad sacram synaxim accesserint aut secus. Libellus autem summa

diligentia custodiatur; propterea non erit committendus cuiquam temere, sed ei tantum cuius fidem ac probitatem cognitam moderator habeat atque perspectam. Cum libellus expletus fuerit inter sodalities monumenta reponatur et conservetur.

DE LEGIBVS RELIQVORVM MINORVM OFFICIALIVM

CAPVT XVII.

Si sodalitates aliis huiuscemodi seu pluribus seu paucioribus officialibus indigebunt, pro varietate munerum quae in his erunt obeunda, permittitur ut regulae iis prescribantur quas observent. Nihil vero decernatur nisi de consilio aut sententia sodalities moderatoris. Cavendum etiam ne quidquam statuatur quod hisce regulis adversetur; sed illud in primis, ne quid fiat quod non omnino sodalium pietati ac utilitati conforme ac consentaneum sit: omnia vero ab iis aliena atque abhorrentia penitus amendantur et minime rata censeantur.

Formula aggregationis

Hoc nostrarum litterarum testimonio constare volumus, dilectum in Christo Fratrem
 die anno in Sodem Congregationis sub titulo N. N. . . . in N. N. . . . fuisse cooptatum, ut propterea omnes indulgentias, favores, gratias ac privilegia quibus Sodales alii iam confirmati fruuntur, obtinere possit et valeat, et cum ex hac vita migraverit, omnibus, quae defunctis Sodalibus adhiberi solent, suffragiis ab hac Nostra iuvari debeat.

Datum ex Ead. Deiparae Virg. Congregatione Die et Anno quibus supra.

Praefectus N.

Moderator N.

A Secretis N.

